SIGNA NONNULLA
EX NASO ATQUE OLFACTU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. M. AUGUSTI A. MDCCCXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
PHILIPPUS MEYER
RATIBORIENSIS - SILESIUS.

OPPONENTIBUS
L. FICKER, MED. CAND.
F. HEILBORN, MED. CAND.
FR. SCHULTZ, MED. STUD.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Facies vero oculi, tempora, maxillae, nasus, os, lingua, dentes, aures in acutis morbis plurimum lucis addunt ad vitam et mortem praevidendam.

Pr. Alpinus l. v. cap. I.

VIRO

DOCTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

I. W. SAUERMANN

PROFESSORI IN GYMNASIO ILLUSTRI BREGENSI

PRAECEPTORI SUMME COLENDO

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

PII GRATIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

Ex more vetusto perpulchroque dissertatiunculam conscripturus, non haesitavi aliquid practici argumenti hunc ad finem eligere; nam ex mea sententia, quisque qui medicinae practicae se dedicavit, bonam hic habet occasionem experiendi, quid iam ferre humeri valeant, praesertim cum nemo a tirone in re medica aliquod opus perfectum facile exspectet. Hoc dubio, quod multos premit, remoto, diu incertus fui de qua re scribendum sit; quae enim a viris doctissimis sat superque iam exposita sunt, repetere, repetitaque forsan corrumpere taeduit. — Nullum apud auctorem de semiotice cum signa, quae ex naribus earumque functione desumi possunt tam sedulo et accurato collecta invenerim, quam ea quae ex caeteris sensibus petuntur, haec ex scriptoribus optumis, imprimis ex Hippocrate, Galeno, Pr. Alpino colligere statui *). Hac ratione opprobrium il-

*) Exsistunt quidem nonnullae disertationes, quae huc pertinent:
Andr. E. Büchner resp. Rolle diss. de morbo-

lud, tironem experientiae propriae expertem nimis audacter rem practicam tractare velle, me evitasse simulque non plane futilia conscripsisse credidi. Ast ne inepta mutatione vel coniunctione observationes medicorum istorum mutilem, singula ut ea inveni, dedi. — De profluviis sanguineis mucosisque, de ozaena aliisque, quae iam ipsa morbos constituunt, quamvis interdum in aliis morbis signa tantummodo exhibeant, verba non feci, ne limites dissertationis transgrediar; de nonnullis vero, quae non stricte ad nasum solum pertinent, prolixius disserere coactus fui v. g. de respiratione sublimi, quia hac exposita primum exponi potuit, quid pinnarum motus ut signum valeat; sic etiam plura de calore coloreque, quae auctores non de naso solo sed de tota facie scripserunt, hic adducenda esse existimavi.

---

rum signis, quae a naribus desumuntur Halae 1754.
Andr. E. Büchner r. Clauswitz diss. de pruriente naso Halae 1757.

Jantke r. Bauer de adoratu abolito Altdorf. 1757. ast pauca tantum continent, atque insuper rarissime nunc inveniuntur; ipse nostra in urbe diu eas frustra quaesivi, tandemque ab Ill Knape obtinui, cui Viro humanissimo hanc ob causam maximas, quas habeo gratias, ego.

I. Pars.

De signis ex naso.

De volumine nasi aucto.

Nasus caetera cum facie tumet in congestionibus versus caput, in apoplexia, asthmate, angina, deliriis, ante sanguinis e naribus effluvium 1); tumet in faciei erysipelate 2), atque alia inflammatione; in nonnullis exanthematibus ante eruptionem, praesertim, in variolis 3), Nasum tumentem invenimus in in-

---

1) Versuch einer medic. chir. Diagnostik in Tabellen von Schmalz. Dresden 1876. p. 492 rhinalgia sanguinea.

2) In erysipelate faciei labium et nasus magnopere intumescunt. Handbuch der spec. Pathologie von Henke. Berlin 1806. Th. 3. p. 317.

3) Praesagium utilius format faciei turgiditas et inflammatio mediocris in variolis praesertim benignis, non confluentibus, in quibus alias nimis turgida

flammatorio catarrhi stadio 1) aliquando etiam in febribus synochicis 2), haud raro in febribus malignis, in quibus tandem gangraenosus fit, omenque pessimum exhibet; et Schmalz C. c. §. 493.

In scrophulis cum labio superiori nasus tumere solet, simul cutis in eo rubet et splendet; saepius nasus intumefactus remanet 3).

Secundum Baumé hoc in morbo nasus est crassiusculus alaeque cum palpebris inferioribus tumidae, hic vero tumor per columnam nasi ad labium descendit 4), Such children have frequently a tumid upper lip with a chop in the middle of it; and this tumour is of ten considerable and extended to the columna nasi and lower parts of the nostrils 5).

---

facies facile peiorem Stahl. Hal. 1700. Semiotice pathologica C. Gruner. Hal. 1775. p. 383. Zeichenlehre v. Danz ed v. Heinroth, Leipzig 1812. p. 68.

1) In inflammatorio catarrhi narium stadio, nasus tumet, rubet Frank epitome. Haase chron. Krankheiten. Thl. 3. S. 20.

2) Aretaei Cappodocis medici libri VIII. J. P. Crasso interprete. Parisiis 1554 de acutis l. II. cap. IV. p. 16.

3) ueber die Natur und Erkenntniss etc. der Skrofelkrankheit von C. Hufeland. Jena 1795.

4) Baumé, welches sind die vortheilhaftesten Umstände zur Entwickelung d. scroph. Uebels übers. Halle 1795.

5) Cullen first lines of the practice of Physic. Edinburg 1786. vol. IV. p. 361; of. Richters spec.

In hydropicis morbis praesertim in anasarca, facies cachectica pallida est, proprium vero huius morbi signum tumor est tum totius faciei, tum cutis, inter nasum, palpebram inferiorem, genamque extensus, qui vero tumor matutino tempore praesertim apparet, minus vespertino 1).

In lepra externe circa nares tumor, interne vero angustatio, strictura, unde videntur loqui cum naso 2), Ad signa infallibilia leprae pertinet dilatatio narium exterius, et coarctatio interius cum difficultate anhelitus et quasi si cum naribus loquerentur. 3).

In morbo verminoso nasus inferior tumet, unde foramina angustantur 4).

In inflammatione sacci lacrymalis (dacryocystitide) tumor formam et magnitudinem fabae referens, circumscriptus, durus, dolens, ruber in superiori parte laterali nasi oritur. 5).

Therapie. Thl. V. S. 444.
Frank epitome p. V. p. 107. Stoll praelectiones ed. Eyerel Viennae 1788. vol. I. p. 40.

1) Frank epitome Tubingae 1811. vol. IV. Haase chr. Krkhten. Bd. 3.

2) Theodoricus in art. chirurg. script. collect Venet. 154F. p. 157.

3) Gordonius in libro medic. vol. I. de lepra c. 22. P. Frank epitome. Richter spec. Therapie. Conradi spec. Pathologie und Therapie. Thl. 2. p. 644. und Hensler Geschichte des abendländischen Aussatzes 1790. p. 454. etc

4) Schmalz l. c. §. 424 u. §. 490.

5) Weller Krankheiten des menschlischen Auges. Berlin 1819. p. 95.

Nasus interdum polypis, aliisque corporibus cavo eius inhaerentibus, insectis, fabis etc. admodum extenditur.

De volumine nasi imminuto.

Faciei corruptela lethalis est, minus tamen si ob pervigilium, aut inediam, aut alvi perturbationem contingit. Huiusmodi autem faciei hae sunt notae: oculi concavi, nares acutae, collapsa tempora, frigidae aures contractaeque, cutis dura, color pallidus aut niger. Hipp 1) Coac. Praes. sect II. 212. Pessimum signum ei fuerit nasus acutus cum obliqua fronte ait Avicenna 2).

Acutae s. acuminatae nares in febribus pessimae 3). Nasus acutus, gelidus, pallidus in nervosa conspicitur febre teste Huxhamio 4).

Nasus acutus atque tenuis, malae cum rubore

---

1) Usus sum editione Anutii Foesii Francofurti MDXCV.

2) Avicennae liber canonis totius medicinae a Gerardo ab arabica lingna in latinam reductus. Lugd. Batav. 1522. canticor. l. I. p. I. fol. 448. p. 2.

3) Gruner semiotice p. 584 und Gruners Zeichenlehre. Jena 1801. p. 378. Danz Zeichenlehre und S. L, Pezold de prognosi in febribus acutis. Lips. 1778. p. 54. u. 57.

4) Huxhams Sammlung medicin. Schriften. Bremen 1765.

exstant, oculi concavi, lucidi, micantes, vultus pallidus vel lividus in phthisi, Aretaeus 1)

Eadem fere Burserius in instit, medic. pract. vol I. de febre hectica dicit: in tertio gradu corpus contabescit totum, et tanta macie extenuatur, ut ossa ubique promineant; squallet facies, tempora collabuntur, capilli defluunt, oculi incavantur, nares acuminantur etc.

Narium pinnae graciles ac tenuatae apparent in iis, quos longus morbus pene confecit, qui labore vel inedia franguntur, vel animo linquuntur, vel moriuntur Galenus in Prognost I. p. 733.

Nares habent acutas et ad respirationem paratas aegroti in asthmate, Aretaeus. De diuturnis morbis.

Forma nasi mutata.

Nares si pervertuntur in febribus et cum signis malis copulantur, mortem significant. In febre non intermittente si labium aut supercilium aut oculus aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, imbecillo iam corpore, quidquid ex his evenerit in propinguo mors est Hipp. aph. Sect. IV. aph. 49. sect. VII. aph. 75.

Quod si pervertatur aut corrugetur palpebra aut livescat aut pallescat, itemque labium aut nasus cum alio aliquo signo, mortem in propinguo esse sciendum est, Hipp. in

1) De morbis diuturnis libr. I. cap. VIII. de phthisi.

Praenot. libr. sect II. p. 4. Eadem affirmant Pr. Alpinus 1) Pezold l. c. p. 57. Secundum Gruner 2) significant nares acuminatae distortae mox spasmos, mox debilitatem magnam, modo periculum magnum et mortem.

Videmus saepe homines praesertim senes distorto naso oreque signatos ex apoplexia, epilepsia praegressa, vulnere vel ulcere, et tunc hoc phaenomenon non ultimum locum tenet inter signa anamnestica 3).

Aretaeus de pulmonaria ait; rubestit facies, sed malae praecipue, oculorum album nitidissimum ac pingue est; summae nares simae fiunt 4) Alae acuminatae s. acutae, arcuatae, quasique elatae cum naso simo et facie mala pessimae sunt in morbis acutis, Gruner 5).

Alae s. pinnae nasi compressae incipientem musculorum, quorum ministerio nares diducuntur, resolutionem ac futuram apoplexiam praesignificant, teste Swieten 6) cf. Gruner, Danz 7) Büchner 8)

---

1) Pr. Alpini de praesagienda vita et morte aegrotantium, ex ed. D Gaubii Fraucof. et Lips. 1754 in 4. libr. v. p. 106 et 318.

2) l. c. p. 177. 3) diss. de signis e naribus Büchner p. 22.

4) de causis et signis acutorum C. II.

5) l. c p 585. 6) v. Swieten comment. in aphor. Boerhaave §. 293.

7) l. c. 277. 8) l. c. p. 22.

Pinnae contractae, sub quibus et pectus angustum quasique collapsum derepente incidit, in phthisicis mortem proximam indicant. 1)

De motu pinnarum.

Haud superfluum videtur pauca quaedam hic addere de isto signo, quod in acutis morbis maximi est momenti.

In respiratione naturali, sana, pinnarum motus vix oculo percipitur, ubi vero respiratio impedita et difficilis evadit, distincte conspicitur; quo maior velociorque pinnarum motus, eo maius etiam respirationis impedimentum vitaeque periculum.

Aliquando vero maxime usu urgente sed facultate exstincta fere fit maxime throacis dilatatio, in qua aliquando moventur scapulae, nares, quam spirationem sublimem et phaenomenam i e. apparentem medici nominant, Pr. Alpinus 2). Omnium (respirationum) pessimae, quae in moribundis observantur, sunt frigidae, quippe cum naribus ac ore frigidum exspiratur, demum sublimes. Pr. Alp. l. c. p. 253 et 258.

Quae Hippocrates in l. 2. Coac. praes. hisce indicat verbis: pessimus autem morti propinguus, extendens, urgens et obscurus spiritus.

Hipp in libr epidem. De uxore Olympiadis narrat: oculi erant tristes, spiritus sublimis per nares trahebatur, cum iam circa mortem esset.

---

1) Benedictus in theatro tabidorum p. III.

2) l. c. libr. IV. cap. VII. p. 249.

Galenus in febribus acutis fatum inevitabile esse docet, ubi alae narium sub quavis aëris reciprocatione moventur, diducuntur, vicissimque contrahuntur; in dyspnoea magna impedimenta portendit.

Quare ex iis statuamus, inquit Pr Alpinus l. c. p. 262. respirationem sublimem, quandocunque fit, perpetuo lethalem esse, aut quod summam instrumentorum respiratoriorum angustiam, et qua natura suffocetur, aut virium seu naturae absolutissimam infirmitatem et exstinctionem denotet, ex quo non nisi in moribundis apparet.

Eandem respirationem observamus in asthmaticis 1) spasmodicis a magno irritamento in organis respirationis, in angina ex colli interni tumore et suffocatione propingua, in pneumonia gravi lethali, in aliis morbis gravibus a debilitate magna breve ante obitum 2).

Respiratio sublimis pulmones admodum infarctos vel spasmis insigniter strictos esse indicat, et a paralytica motricium fibrarum resolutione proficiscitur ultimamque horam annunciat, Pezold l. c. p 81.

Pauca deinde de aëre per nares exspirato hic adiicere liceat.

---

1) Burserii inst. med. pr. vol. IV. de asthmate.

2) Gruner l. c. p. 378.

cf. Le Roy Vorherverkündigungen in hitzigen Krankheiten, übers. Leipz. 1787. p. 31. und Diss. de Prosoposcopia medica Präs. Quellmalz v. Ackermann. Leipz. 1748. p. 37.

Calidus spiritus per os et nares exhalatur in febribus inflammatioriis, praesertim in pneumonia 1); perinsignem succorum fervorem circa uitalia viscera febrem vehementem et concitatissimam, pulmonum inflammationem atque erysipelas, summum vitae discrimen et haud raro mortem certam praesignificat, Gruner l. c. p. 186. §. 259. Hipp in Coac 2).

Qui vero frigidus ex naribus et ore aèr exspiratur exitialis admodum est Hipp. a pragnost p. 45.

Inter lethalia signa numerantur calidus vapor per cutem emanans, si prius nares frigidum spiritum emiserint; vitalia autem contra se habent Hipp de morb vulgar. l. VI. sect. VII. Quae Galenus hisce verbis expressit: per cutem calidus vapor exiens post frigidum spiritum prius exspiratione egressum; sed calido vapore exspirato per nares et per cutem non omnibus mors erit praedicenda.

Nunc reliquum est ut exitales respirationes adnumeremus cuiusmodi est frigida, sublimis Pr: Alp. l. w. cap. XI. p 258.

Frigida respiratio omnium exitialissima, quae non nisi in moribundis attenditur. Pr. Alp. l. c. p 258.

Aretaens de acutis morbis l. II. de causo, ubi mors appropinguat spiratio frigida, vapor e naribus multus exhalatur.

---

1) cf. Burs. vol. 4. p. 99. Frank-epit. vol. II. p. 228.

2) Hipp. in caoc. Praes. ait: lethalis autem est febrilis et fuliginosus spiritus, verum minus quam frigidus.

cf. Pezold l. c. p. 81. Gruner semiotice, Dans Zeichenlehre.

De foetore ex naso

Foetor ex sordibus ventriculi, vel narium muco stagnante et corrupto terrere non debet, magis ex ulcere, ozaena, osse carioso, polypo suppurante oriundus, maxime vero si in febribus acutis aegri exspirationes cadaver olent, nam in his putredo iam subest et fatum fere inevitabile imminet Gruner semiot. p. 252.

Foetor ex naso in acutis morbis malum est signum, decompositionem succorum indicat 1).

Respirationes vero graveolentes maxime exitiales observantur Pr. Alpinus l. II cap. XI. p. 113.

Qui fonticulos sive in brachio sive in femore habent, solent plerumque foetorem quemdam ab iis percipere; sed ego aliquoties observavi eiusmodi etiam foetorem apud plerosque e naıe istius lateris ubi fonticulus est, provenire, Schulzius. 2)

De aucto nasi calore.

Ubi tota facies magis ac par est calet, etiam nasus maiore calore gaudet, quae igitur prognostica de facie, de naso etiam valent. Maiorem calorem deprehendimus in omnibus congestionibus versus caput v. gr, a motu vehementi, a potu incitante, aère nimis

---

1) Danz Zeichenlehre. p. 99.

2) Ephemer. Netur. Curios. Dec. I. ann. VII, abs. 154.

calido, in asthmate, tussi convulsiva 1) etc; in exanthematibus nonnullis; in faciei erysipelate aliisque inflammationibus, otitide 2) encephalitide 3), in febribus imprimis synochicis.

In genere calor mitis, placidus bonus est, praesertim si cum aequali totius corporis mollitie, aut qui bene valentis calori sit similis Hipp

Optimus igitur erit calor temperatus, aequaliter per totum corpus diffusus cum aequali etiam mollitie At nedum hic, sed quin etiam intensus vehemensque calor per omnes corporis partes diffusus in ardentibus febribns, cum proprium febrium malignarum sit, ut eae summas partes non calefaciant; vel non malignarum ut totum corpus usque ad summas partes aequaliter exurant; significant enim hae viscera vehementi carere inflammatione, Galenus in 3 Prorrhet. text. 61.

Extremas partes corporis valde calidas in talibus morbis sentiri optimum non minus est, veluti oppositum si observatur in his magnum malum 4) hinc extremorum frigiditas in morbis acutis pessima; itaque harum partium caliditas bonum ut signum exsistit, quod denotet interna viscəra neque magna phlemone neque intensa aliqua humorum putredine offendi, neque naturam multitudine crudorum humorum

1) Pr Alpinus l. II. c. XIII. p. p. 118

2) Frank. epit. de otitide. vol. II.

3) ibidem de encephalitide.

4) Pr. Alpinus C. II. cap. XIII p. 118.

gravari, atque etiam significet calorem febrilem viscera reliquisse partesque longinquas invasisse. Pr. Alp. l II rep. XIII. Extremaruw partium caliditas quoque cum rubore et inflammatione in acutis morbis bonum est (Hipp in Prognost) ast calor vehemens tum in facie tum in hypochondriis, tum in thorace pessimum exhibet signum, visceris enim alicuius aut cerebri phlegmonem indicat. Pr. Alpinus l. c. p 129. Cum sudore vero facies flammans malignitatem indicat, cerebri enim inflammatio vehemens adest. Galenus in 2 Prorrhet.

Eadem Gruner affirmat, pessimum est signum si vehemens calor febricitantis caput exercet: metuenda enim sunt deliria, convulsiones, phrenitis et haud raro subita mors; si faciem, pectus, praecordia infestat, quia inflammatio adest.

In naso solo autem maiorem ac in reliqua facie invenimus calorem in unaquaque nasi ipsius inflammatione, sive externa sit, sive interna, quam ob causam in inflammatorio catarrhi stadio, nec non ut prodromum haemorrhagiae narium una cum pruritu. 1)

In morbo arcuato albiore calor in naribus exi-

---

1) In multis annunciant vertigo, somnulentia, stupor pavor sub somno, rubor, calor genae unius, dolor capitis, splendor: levis phlogosis, caligo, lacrymatio oculorum, aurium tinnitus, susurrus, surditas, arteriarum ad tempora et collum pulsatio intensior, plenitudinis, tensionis, siccitatis, caloris, pruritus titillationis ad nares sensatio haemorrhagiam narium Frank.

guus quidem sed mordax percipitur, nam biliosum distrahit laniatque, ut Aretaeus docet. 1)

De calore imminuto.

Frigiditas corporis, quae potius sit moderata caliditas post aliquam bonam evacuationem, pulsu reddito meliori ac vehementiori, apparens, optumum est. Pr. Alp. C. II. Cap. XIV.

In multis morbis chronicis externas partes invenimus frigidas; sic in hydropicis; 2) in hystericis 3) vel hypochondriacis, nemo tamen erit, qui his in morbis cum partes illae frigidae exsistant, ullum inde metuat periculum. Eadem videmus in hominibus debilibus, convalescentibus ex morbo gravi, in senibus 4) in litterarum studio strenue incumbentibus, in hominibus frigidi temperamenti 5) et hic parum timendum est. Frigiditas extremorum a cibo intempestive assumto vel ab accessione aliqua ortum habens, in qua nedum extrema sed cutis quoque circum costas et ventrem posita frigida redditur mala non est, Galenus in 2 Prorrhet. Nasus si pallet aut friget in iis, qui febribus intermittentibus labo-

---

1) De diuturnis l. I. p. 139.

2) Pr. Alpinus l. II. cap. XIV.

3) At in partibus externis expanditur calor, quod in hystericis non fit, Ballonius de morbis virginum. Genevae 1762.

4) Hipp. aph. sect. I. aph. XIV.

5) Gruner Semiot. p. 582.

rant novam accessionem, et feminis, quibus menstrua inordinate fluunt, chlorosin denunciat. 1)

In morbis enim ait Galenus; qui sunt sine febre, et hyeme et aetate senili partes extremas corporis veluti nares, aures, pedes, manus frigefieri, nihil absundum, quippe quae carne vacant ex natura, longeque sunt a visceribus positae: non tamen in acutis mediocre est malum; per illos enim calor nativus prae debilitate nequaquam permeat ad extremas partes, in morbis vero acutis propter inflammationis magnitudinem in visceribus, parum sanguinis in omne permeat corpus 2).

In acutis vero frigus non est mediocre malum sed valde perniciosum symptoma utpote quod magnis superveniat inflammationibus. Pr. Alp. l. II. c. XV. In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas malum Hipp. sect VII. aph. 60. Frank de gastritide. In febribus malignis in initio morbi frigus extremorum, non minus ac continua extremorum frigiditas in febribus continuis, vel viscere aliquo a veneno laeso, malum est signum imo exitiale Pr. Alp. l. II. c. XV.

Frigiditas, quae non in principio apparet, sed postea die critico cum signis decretoriis crisim praenunciat, aut febris continuae mutationem in intermittentem; cum malis vero signis perpetuo mala, pessimaque in die decretorio est frigiditas intensa et per-

---

1) Gruner l. c. p. 582.

2) Galenus 2 Prognost. textu 4.

durans. Itaque extrema refrigerata vix recalescere lethale est, de quibus Hipp. l. 1 Epidem. Satis quoque intensa cum calore vehementi in thorace vel in ventre, extremis quidem algentibus maxime perniciosa judicatur, nam viscerum inflammatio adest Pr. Alp. l. c. Frank de enteritide vol II.

Hipp. in Progn. dicit. si corpus et pedes frigidi sunt, ventre costisque calentibus malum, Galenus nedum malum sed lethale affirmat.

C. Celsus si febre aeque non quiescente exterior pars friget, interior sic calet, ut sitim faciat, lethale; de medicina libri octo Celsi, l. II. cap. VI.

cf. Hipp. aph. sect. VI aph. I, sect. VII. aph. 72. s. IV. aph. 48. V. Swieten iu Commentariis ad aph. Boerhaavii §. 579 dicit, fere semper lethales esse febres eas, in quibus calor summus circa vitalia percipitur, dum simul externa corporis frigent; quod non semel ipse vidi, addit Burserius, gangraenae enim aut sphaceli imminentis ad interiora id indicium est, Burs inst. vol. I. p. III.

In carditide facies manusque sunt frigidae 1). In nervosa lenta nasus acutus, gelidus pallidus 2). Quamdiu in hydrocephalo aliquis licet levis et parum sentiendus in adfecta parte superfuit calor, salutis atque vitae affulsit spes; contra vero simulac exteri-

---

1) Heim von d. idiopathischen Herzentzündung in Rust Magazin für d. gesammte Heilkunde. Bd. VI. Heft 1. S. 366.

2) Huxham l. c. p. 87. in aphorismi Stollii p. 290. §. 784.

ores partes aures praesertim et nasus intensum et constans susceperunt frigus vehementer fuit metuendum 1).

Quibus lien deorsum propendet, iis pedes, genua et manus calent, nares et aures semper frigent, videndum igitur num idcirco tenuis illis inest sanguis num vero et natura talem habent. Hipp. de morb. vulg. l. VI. S. II. p. 263. 2)

De sudore.

Pauca tantum de sudore dicenda habeo raro enim nasus solus sudat, et semioticen sudoris in genere dare mihi non propositum.

Sudor si iusto tempore se ostendit, rigorem excipit et per totum corpus aequaliter molle et calidum diffunditur, spasmorum et morborum acutorum solutionem indicat felicemque morbi exitum promittit. Pezold l. c. p. 126, Galenus in libr. de crisibus cap. III.

Qui non in toto corpore sed circa frontem tantum, collum et pectus, glutinosus, foetidus aut frigidus deprehenditur sudor perniciosorum spasmorum a prostratis vitae viribus oriundorum index et mortis

---

1) Büchner v. Dennewitz diss. de indiciis aurium in morbis. Halae 1754. p. 27.

2) cf. Pezold l. c. p. 69. Gruner semiot. §. 804. Danz 97. Curt Sprengels Handbuch der Semiotik. Halle 1801. §. 150. Erfahrungen über d. Nerven- und Lazarethfieber v. E. Horn. Berlin 1814. S. 44.

nuntius est. Pezold l. c. p. 126 Hipp. sect IV aph 42 et in progn. Frigidi sudores cum febre acuta mortem, cum mitiori morbo longitudinem significant Hipp. aph. sect IV. aph. 37. Nasus sudans splendensque vel onaniam vel magnam debilitatem indicat teste Gruner 1)

De narium siccitate.

Diversis in morbis nares internas modo sicciores modo humidiores invenimus. Siccae sunt nares in primo catarrhi stadio 2), cum inflammatio secretionem muci supprimat; talis etiam inveniuntur in quoque totius capitis, faciei vel nasi solius morbo inflammatorio, neque minus in pluribus febribus, in synocha v. g. fulgent oculi, labia sunt arida, nares siccae aperte interdum agitantur 3), in febre ardente siccitas in cute tota, naribus, ore, lingua etc. Stoll aphorism. p. 157 §. 481. Nares siccae fuliginosae in febre putrida inveniuntur ibidem §. 489 Nares pulverulentae fiunt et pinnis diductis moventur in gravi pneumonia. Burser. inst. vol. IV. p. 100.

In typho maliguo nares siccae fuligine quasi adspersae obtectaeque cum caeteris signis malis mortem esse propinguam indicant. Pezold l. c. 48.

---

1) Gruner l. c. p. 377.

2) In febre catarrhali siccitas nasi Henkes Pathologie. Th. 2. p. 93.

3) Aretaeus in acutis morbis l. II. c. IV. Pr. Alpinus l. II. c. XVII. Analecta ad semioticen faciei diss. Beust. Berlin 1819. p. 83.

Summa in naribus siccitas observatur in lepra 1). Ubi morbus adest in organis lacrymalibus, quo puncta ductusque lacrymales occluduntur, transituque impedito lacrymae in nasum pervinire nequeunt, naris istius lateris, si uno tantum latere ista organa vitiata sunt, sicca invenitur 2).

De narium humiditate.

Quibus natura nares sunt humidiores et genitura humidior, ii morbosiore sunt valetudine, at quibus contraria sunt salubriore Hipp. sect. VI. aph. II.

Quibus nares natura humidiores et semen genitale humidius et copiosus, ii minus salubriter degunt. Plurimi autem quibus ex morbo istud accidit, contra se habent.

De colore.

Pervenimus ad signa, quae ex colore nasi externi desumi possunt. Quo minus habitus colorque faciei singularumque eius partium in morbo mutantur, eo melius, ut Hipp. docet omnesque medici affirmant 3).

Rubor faciei auctus invenitur in congestionibus versus caput, in inflammatoriis morbis totius corporis 4) vel capitis vel faciei solius, ergo etiam in ery-

---

1) Conradis Pathologie und Therapie. Bd. 2. p. 644.

2) Weller die Krankheiten des menschlichen Auges. Berlin 1819. p. 95.

3) Sprengel l. c. S. 130.

4) Rubor ad malas, rubor in faciebus, rubor ad nasum signum est febris. Hipp.

sipelate faciei, encephalitide 1) pneumonia 2). in febribus synochicis nec non in typhosis interdum 3). Omnis rubor faciei ergo vel sanguinis copiam 4), vel calidam intemperiem, vel internam phlegmonen 5), vel visceris alicuius corruptionem indicat. Ubi morbo crudo facies nimis rubet inflammatio eius, phrenitis, convulsio 6), maxime in pueris, itemque angina pertimiscenda est. Gruner l. c. §. 813. Faciem rubram cum moestitia malam esse, quia calidae affectionis signum, Galenus docet in l. ll. prorrhet. Designat iste calor etiam, si quae alba esse debebant, rubra sunt, et nigras illis intermixtas habent venulas, interceptum sanguinis iter, igitur in epilepticis et apoplecticis etc. Hipp. l. ll. prorrhet.

Si fuerint signa coctionis conspecta, solet rubor faciei crisin faturam per sanguinem e naribus denotare; in Coacis et Pr. Alp. l. V. cap. IV. p. 385. l.

---

1) Frank epitome. Burser. vol. III. p. 145. Stoll aphor. §. 72.

2) Stoll ibidem §. 240.

3) Huxham l. c. de nervosa lenta, Horn l. c. S. 2 und 63.

4) Galenus in 4to libro de sanitate tuenda dicit: rubrum colorem sanguinis abundantiam indicare.

5) Plerumque absque signis coctionis et cum malis signis phrenitidem demonstrat Pr. Alp. l. v. cap IV.

6) Pueris acuta febris. alvi sappressio cum vigilia, et coloris mutatio, multus rubor convulsionem significant Hipp. coac. praes.

VI. cap. XIII. Saepe rubicundus nasus anamneseos vice fungitur docetque intuentem medicum proxime praegressam turbulentiorem animi commotionem, inprimis iracundiam et pudorem. Büchner l. c. 26.

Chronicam faciei rubedinem ad lividitudinem vergentem cum duriusculis parvis tuberculis in pustulas transeuntibus coniunctam, hepatis intemperiem indicare inter medicos practicos constat. 1).

Rubedo valde livida cum indecoro faciei, nasi et labiorum tumore, ut elephantiasis signum, memoratur a Fienio cf. Hensler l. c.

In illa leprae specie, quae Radesyge vocatur, maculae atropurpureae in naso conspicuae fiunt. 2)

Narium rubores alvi liquidae et diffluentis sunt indicia, Coac praes. s. II CCXV.

Malarum et narium ruborem proximam haemorrhagiam indicare edixit Galenus in tertio de crisibus capite. Nares cum pruritu rubentes criticam saepe haemorrhagiam narium indicant. Pezold l. c. 57. Danz l. c. p. 85. Rubet nasus labiumque superius in helminthiasi 3) Hoc autem nuperrima observatione ipsi edocti novimus, nasum in maniacis dum sibi animo paullulum constant, subito intense rubescentem maxime imminentis furoris esse praenuntium4).

---

1) cf Stahl de facie ut signo diss. 16.

2) Conradis Pathologie 2 Thl. p. 660.

3) Bensts. diss. p. 98.

4) Büchners diss. p. 40.

In puellis pubertatis annos ingressis sub moliminibus molestissimis, mensium eruptionem, ruborem narium externarum, inflammationes erosionesque internarum indicare multis observationibus fretus Quellmalz contendit 2).

Rubor narium intensus in Baccho Venerique subiectis apparet, de quo infra sermo erit.

Color pallidus et albus conspicitur aut calore intus recurrente, aut quod corpora sanguine frigido et pituitoso abundant; sed in acutis morbis corpora expallescere solent nedum calore intus recurrente sanguinisque inopia, aut ipso calore exstincto, qui color propter hanc causam mortuis esse solet familiaris Pr. Alp. l. v. cap. IV. p. 287. Sprengel, Gruner. Danz. l. c. In morbis cachecticis, leucophlegmatia 3) chlorosi 4), si bilis parca vel invalida secernitur 5), observamus modo colorem mere album, pallidum, modo ex albo viridem, flavescentem, luridum cf. Gruner, Danz Vetus proverbium: qui pallet, aut amat, aut studet, aut aegrotat, nasum quoque tangit, qui omnino in puellis viduisque male menstruatis, cachexia chlorosique laborantibus, neque Veneri ini-

2 diss. de narium earumque septi curvatione Pr. Quelmalz Lips. 1750.

3) Aretaeus de diuturnis l. 1 pallor et tumor in cachexia.

4) Ballonius de morbis mulierum etc. Quelmalz Prosoposc. p. 32.

5) Color, qui multum est pallidus, ab hepate est, Hipp. libr. 2 Epidem.

micis aut in viris hypochondriacis saepe lucubrantibus, amore succensis, nisi quidem ingrato guttae rosaceae colore, ut haud raro fit, tinctus fuerit, pallidus plerumque et frigidulus deprehendi solet 1).

Qui diu habent faciem pallidam et tumidam aut capite, aut visceribus aut alvo laborant, Celsus l. II. c. 7. In puellis vero a pubertate ad vigesimum circiter annum mensium vitia pallor designat, Stahl l. c. p. 17. Pallor summi nasi in muliere gravida indicium est foetus in utero paulo ante partum mortui. Hipp. in l. II. de superfoetatione.

Nasns frigidus pallidus invenitur in spasmis, frigore, timore terrore. Büchner l. c. 26. Stahl. p. 17. In intermittentibus febribus pallens aut lividus nasi color praecipue in apice observabilis, terroris frigorisque accessum indicat Büchner l. c. p. 26. Nasus pallidus et frigidus debilitatem, sanguinis inopiam, spasmum, in gravi morbo pariculum in febre intermittente et in hystericis novum accessum, in femiuis menstruationem anomalam prodit 2.)

In nervosa lenta omnis facies pallida, sordidaque, nasus acutus, gelidus, pallidus 3)

Ad ultimum iam perventum esse testantur nares acutae, collapsa tempora, oculi concavi, frigidae languidaequae aures, cutis circa frontem dura et intenta, color niger aut perpallidus; pallent palpebrae

---

1) Büchner diss. de signis p. 39.

2) Gruner semiot. d. 377.

3) Huxham l. c. p. 89.

idemque pallor labra et nares decolorat; Celsus. l. II. c. VII.

Flavum colorem in morbo regio videmus in omni facie, praesertim in albo oculi et ad pinnas nasi; modo est mere flavus, modo ex flavo viridis imo niger, varius pro vario morbi gradu. Sat notum est in hepatis inflammatione et in febre flava pestilentiali faciem eodem colore tingi; de eius significatione in illis morbis aliquid addere supervacaneum foret. cf. Sprengel l. c. §. 137.

In febre biliosa color e griseo luteus faciem occupat, pallor ex viridi flavescens oris angulum, nasique pinnas tenet 1.)

De viridi colore in ictero iam monui.

Homines qui haemorhoidibus, aliisve morbis viscerum abdominalium laborant viridescentem prae se ferre colorem Avicenna, Forestus aliique memorant 2.) In venenatis virides colores conspici solent. Pr. Alp. l. v. cap. III. Hipp. de facie exitiosa disserens colorem quoque vultus totius viridem vel nigrum commemorat cf. Gruner.

Colorem lividum pessimum esse in febribus omnes inter se conneniunt medici cf. Pr. Alpin. l. v. c. w. Gruner p. 565. Danz. 89, Quellmalz diss. 31. Sprengel. §. 131. Auctor Coac praenot. (CCXII)

---

1) Stoll aphor. p. 117. §. 348. genarum intensa rubedo cum flavescente viridescente pallore circa nares et labia.

2) Stahl diss. de facie. p. 18.

ait, quod si vel labrum vel palpebra vel nasus liveat in propinguo est mors. Ubi livores in febre fiunt, propingua mors significatur Coac Pr. LXVI.

Mortis indiciis Celsus l. II. cap IV. adnumerat colorem aut nigrum aut perpallidum. Pessimum est signum si in febribus nervosis nasus livescit vel nigrescit cf. Frank. Burser. Horn. Hufelands Iournal Bd. 47. 7 Heft.

Ex caeruleo lividum colorem in congestionibus fortibus, apoplexia, angina, suffocatione, atque in morbo coeruleo observamus cf. Gruner.

De colore lurido, plumbeo, nigro eadem, quae de livido in febribus valent; coloris mutatio quoties ad nigrum exsistat pessima: Galenus. Nasus nigrescens labiumque maximum periculum propinguamque mortem indicant. Gruner p. 565. Sprengel. In morbo comitiali facies plumbea; Aretaeus 1). Maculae coloris plumbei ad angulos nasi cum asthmate aquam in thorace produnt. Gruner 377. Sprengel §. 126.

Fuliginosa nigredo, quae nonnunquam in superficie corporis acutis febribus decumbentium apparet, et vix et ne vix quidem a sordibus cutem conspurcantibus distingui potest, funesta est, gragraenosam enim humorum resolutionem arguit Pezold l. c. 48. De fuligine ad aperturas nasi in typho iam dixi.

Nitor nasi.

Nitet interdum nasus praeter naturam. In leu-

1) de diuturnis l. 1. p. 58.

2) Beust diss. P. 90; Huxham tom. 3. cap. 4. p. 74

eophlegmatia, inflammatione, ubi nasus tumet, cutis simul tensa nitidaque apparet; sic in angina facies tumida, lividal, pallida, splendens tamquam pinquedine uncta 2). Hunc nitorem in gutta rosacea semper observamus. Nasus sudans nitidusque vel onaniam vel permagnam debilitatem prodit. Gruner Zeichenlehre p. 377.

Nasus rubet, tumet et splendet in morbo scrophuloso auctore Hufeland l, c. p. 116.

Turpitudines nonnullae interdum in naso conspicuae.

Gutta rosacea bomines in Venere et Baccho modum excessisse indicat, nec non morbum venereum lepram aliasque cachexias, haemorrhoidum menstruorumque suppressionem, morbosam cutis debilitatem; interdum est nativum imo haereditarium malum. — Vidi has pustalas, item nasum tuberosum aut saltem rubrum, quam d figurationis speciem vulgus crapulae vinique abusui adscribit in hominibus arthriticis, ita ut ex tali facie ad labem arthriticam sat tuto conclusionem formes. 1)

Guttam rosaceam malam, esse si operationes chirurgicas instituere velis, Mursinna docet. 2)

Ozaenam externam s. ulcus in externo naso videmus in morbo venereo, ab acrimonia carcin-

---

1) Stoll praelectiones vol. 1. p. 145.

2) lournal für Chirurgie. Bd. 1. St. 1. p. 106.

matosa, scrophulosa, herpetica etc. 1)

Apparent pustulae, albae, lividae, rubrae, nigrae in naso in initio leprae. 2)

In multis febribus efflorescentias ad labia nasumque critica gaudere natura multi autores affirmant. 3) Ad signa bona in nervosa lenta pertinet si alvus leviter laxetur, aut cutis leni madore humectetur, aut alterutra auris abscessum patiatur, aut pustulae latae labia aut nares accupent, speıare enim licet aliquam bonam crisin Burs. d. f. nervos. vol. I. et de febre cum peticulis vol. I. p. 387.

Sic Huxhamius l. c. de febre nervosa lenta adfert, phlyctaenulas frequenter ad labia nasumque apparentes signum efficere salutare.

In typho ut malum signum Horn 4) erythema subito exortum in naso digitis etc. et brevi in gangraenam transiens adducit.

In malignis febribus haud raro nasus nigrescens, tumefactus a pustulis gangraenosis afficitur atque omen pessimum exhibet. 5)

---

1) Schmalz. diagnost. Tabellen §. 497 u. 2129.

2) Hensler l. c. Anhang S. 27. u. 34.

3) Büchner diss. p. 36. contra ea vero pustulae ad narium extremas pinnas exortae decretoriam morbi manifestant solutionem.

4) Horn Erfahrungen übers Nervenfieber p. 49.

5) ibidem p. 70. Am traurigsten war die Verbindung d. Gelbsucht (in thyphus) t. Brand der Zehen, Nase etc.

Vari s. ionthoi ut in caetera facie sic etiam in naribus saepius apparent et modo vitam nimis lautam, plethoram seminalem, modo cachexiam scrophulosam, veneream adesse ostendunt; 1) sine alia causa nota pubertatis aetate inveniuntur 2); teste Richter 3) saepe onaniae proditores sunt.

Praesagium Arabum sat dubium Büchner diss. p. 29. adfert, hominem cui pustula lentis magnitudinem adaequans et nigricante aut viridi colore infecta subito in nasi superficie suborta fuerit, intra anni spatium e vita excessurum; contra ea, illum cui in apice nasi nigricans eiusmodi et insigniter dolens pustula effloruerit neque ad hunc vitae terminum perventurum, sed circiter unius vel duorum mensium intervallo mortem esse oppetiturum. Non maiorem fidem merere videtur prognosticon vitae brevis infantum, quod Stahl diss. p. 22. adduxit; nempe vena conspicua supra nasum.

In lepra cum caeteris crinibus et vibrisssas defluere narrant morbi huius observatores. 4)

De dolore prurituque narium.

Ut quaevis inflammata pars tumet, rubet, dolet, sic etiam in naso ab inflammatione pro sede atque gradu, diversum dolorem oriri observamus, modo pungentem, modo ardentem, modo si quid suppurat

1) Schmalz l. c. §. 2127.

2) Frank epitome xol. 4. 3) Richter sp. Therapie Bd. 6.

4) Hensler v. Aussatze im Anhange.

tundentem. Plerumque sensum ingratum siccitatis partium internarum, atque ob sanguinis affluxum impletionis tensionisque habemus, eundemque etiam in omni congestione graviori versus caput nasumque. His ex causis haec phaenomena apparent etiam in primo catarrhi stadio, dolor hic rarius evadit acriter pungens magis obtusus, gravativus premensque praesertim ad nasi radicem. 1) Hoc signum etiam in initio febris nervosae una cum premente dolore capitis occurrit. 2)

Si otitis in suppurationem et ulcerationem transivit vidimus inquit Frank in epit. l. ll. de otitide, fortissima ad omnes portionis durae auditorii nervi propagines, ad os temporum, nares, oculum, labium inferius et linguam incommoda, dolores maximos ipsam denique paralysin; eadem affirmat Conradi 2. p. 195.

In dolore Fothergillii, qui in omnibus faciei musculis crudeliter saevit, et nasum valde affici notum est. 3)

In inflammatione sacci ductuumque lacrymalium in qua narium regione istae partes sitae sunt, percipitur dolor obtusus cf, Weller l. c. p 95.

In capitis dolore graviori ad nasi radicem dolor obtusus saepe persentitur. Sprengel §. 743.

---

1) Frank epitome vol. v. de catarrho; Schmalz l. c. §. 1818. Burserii instit. de gravedine.

2) Sprengels Semiolik. §. 743.

3) Richter sp. Theraqie vol. 2 S. 55. am häufigsten entspringt der Schmerz an den einen oder andern Nasenflugel.

In heterocrania dolor et nasum in partes aequales dividit, ut Aretaeus docet de diuturn. l. I cap. II.

Saepius ac dolor pruritus in naribus ut signum occurrit.

Frequens est febris catarrhalis prodnomus; cf. Quellmalz diss, Büchner.

Pruritum nasi sanguinis e naribus effluvio antecedere ex plurimis Hipp. Galeni et Pr. Alpini locis liquet 1) Non minùs constat nasum prurientem saepius esse vermium proditorem 2)

Bell 3) narrat si vermes, quod haud raro fit, in sinubus frontalibus occurrunt cephalaeam, gravedinem at pruritum in naso inde oriri.

In scrophuloso morbo saepius nares prurientes inveniuntur Schmalz l. c. rhinalgia verminosa §. 1728. Hufeland l. c. In febribus acutis rubor aut pruritus, nisi criticam sanguinis aut serosi muci fluxionem praedixerit, saepe, notante Fienio (semiotice Lugduni 1664. p. 103) triste accessuri delirii est omen Büchner diss. 37. p. Narium pruritus, si qui febribus supervenit acutis, delirium et haemorrhagiam

---

1) Nares cum pruritu rubentes criticam saepe haemorrhagiam narium indicant Pezold l. c. p. 33 et 57. Frank epit. l. v.

2) Büchner diss. v. Clauswitz de naso pruriente vermium indice. Halae 1787 — Schmalz. l. c. §. 1728. Richter Bd. 4. S. 209. Danz. Semiotik p. 151 u. 241. Stoll praelectiones vol. 1. p. 256.

3) B. Bell Lehrbegriff der Wundarzenei Kunde Bd. 6. S. 523.

destillationem, synochum simplicem, in longis vermes indicat. Gruner semiot. p. 593.

Memoratu dignissima Avicennae est observatio si aeger sine manifesta causa assidue digitum ad nares admoveat mundandi, mungendi, vel fricandi causa, malum ominatur. Lib. IV. Fen. II tract. I pag. XXXV

De percipiendi facultate in naso abolita.

Nares omnem percipiendi sentiendique facultatem forti gelu amittere sat notum, minus forsan idem etiam in lepra accidere; praeter olfactus abolitionem, mox nasi apex et aurium lobus sensum omnem hoc in morbo amittunt cf. Hensler l. c. p. 404. et Deiean vom Aussatze auf den ostindischen Inseln 1786

Resolvuntur in una vel altera parte oculi, manus, crura, verum etiam coniuncta cognataque ut nares usque ad medium, lingua usque ad fines in nervorum resolutione. Aretaeus de diuturnis. p. 100.

II. Pars.

Olfactus ut signum.

Superest signa, quae olfactus in morbis mutatus praebet, adducere; de qua re una tantum dissertatio 1) innotuit, quam vero ipse nondum perlegi. —

1) Iantke v. Bauer de adoratu abolito Altdorf. 1751.

Olfactus autem in morbis triplici modo peccare solet, est nempe vel acutior ac par est, vel hebetior imo plane abolitus, vel denique perversus; secundum hanc divisionem signa etiam, quae inveni, in tres classes distribui.

A., De olfactu nimis acuto s. hyperosmia.

Si aegrotus odores diversos recte facileque discernit, optumum hoc est signum, nam aegrotus sui compos, organonque illaesum est 2.) Interdum vero olfactus adeo acutus evadit, ut aeger res parum redolentes atque remotas distincte percipiat, graveolentes vero adeo aegre ferat, ut sternutatio, convulsiones imo lipothymia insequantur. 3) Deprehendimus hoc vitium in morbo hypochondriaco et hysterico et hic morbum gravem esse indicat; 4) in inflammatione narium idem accidit, cum secretione suppressa membrana Schneideriana muco nervos obtegente careat 1) parvi autem hoc in casu est momenti; gravioris vero ubi hoc phaenomenon in acutis febribus invenitur; saepius occurrit in febre nervosa versatili, et magnam cerebri nervorumque affectionem indicat. 2)

---

2) Gruner semiot. 251. Danz. 257.

3) Conradis Handbuch der Pathologie in Therapie 1 Th. p. 401.

4) Haase Erkenntnisz u. Kur der chron. Krankheiten. Leipzig. 1817. 2 Bd. S. 326.

1) Sprengels Sem. S. 340.

2) Conradi l. c. et Haase Bd. §. 207.

In hydrophobia olfactus non minus ac caeteri sensus, intenditur. Interdum hoc symptoma a magna versus caput congestione oriundum rhinorrhagiam praenunciat. 3)

B. De olfactu imminuto abolitoque.

In catarrho narium, primo stadio iam finito ob mucum permultum membranas obducentem magis minusve sed sine periculo olfactus fit obtusus. 4)

In congestionibus permagnis ubi nimia sanguinis copia, si ita dicere licet, nervos quasi opprimit, cerebri nervorumque omnium nec non nervi olfactorii functio laeditur. Saepius in febre inflammatoria et non catarrhali olfactus deperditur, ut Stoll monet aph. §. 52; sic saepius etiam in typho stupido deest Henke. Th. 2. p. §. 2è, melioris praesagii salutaris nimirum fibrarum laxationis indicium, plenaria olfactus est abolitio in febribus, nisi forte a facultate nervorum extincta proficiscitur, tum enim mortem propinguam esse ostendit. Pezold l. c. p. 109.
Si in febribus acutis olfactus prorsus tollitur, sentiendi facultatem extinctam mortemque propinguem indicat. Gruner l. c. p. 253.

Odorandi vis deleta aut saltem maxime imminuta praesertim in gravioribus morbis mortem brevi imminentem aegroto minatur ait Büchner p. 32. Rhases hoc malo affectum brevissimo tempore post, febre correptum iri contendit.

---

3) Danz. Zeichenlehre p. 257.

4) Henkes Pathologie Th. 2. p. 93.

Olfactus plane abolitus (s. anosmia) e fabrica narium interna laesa oriundus ulcere, tumore aliisque vitiis peior est, nam vix restuitur; si nervi olfactorii vitio v. g. paralysi, destructioneque pendet tum ratione sensus ipsius prognosis est pessima. — In apoplectico, syncoptico accessu omnium sensuum functio cessat ergo etiam olfactus. 1)

In spasmodicis morbis abolitio olfactus lipothymiae imo apoplexiae prodromus esse solet. 2) Berends docet anosmiam subito exortam, praesertim si prius olfactus acutior fuerit, apoplexiam appropinguantem indicare.

Quidam ad huius vel ilius rei odorem occulta ratione dicto citius deficiunt et prorsus intermoriuntur, Schneider 1).

In lepra cum caeteris sensibus et olfactum hebetem fieri plures medici contendunt. 2)

C. De olfactu perverso.

Accidit, ut aegrotantes interdum aut longe alium sentiant odorem ac praesentes res spargunt, aut varia odorari sibi videantur nulla licet re, quae odora sit, praesente, utrumque malum signum.

Saepius vero aegris omnia, quae nares afficiunt, foetorem redolere videntur, quem sani neutiquam sen-

---

1) Henke Th. 3. p. 438.

2) Gruners Zeichenlehre p. 161.

1) Schneider de catarrho l. 2. sect. II. cap. I.

2] Hensler im Anhange p. 101 u. 116.

tiunt. Quod tum fit, perspicuum est, illos aut delirare, aut vitio aliquo, cum maxime ulcere narium ossa infecta esse, aut etiam exspirationes ventriculi graves adscendere. Gruner 3).

Odor malus ex naso, quem aegrotus ipse percipit, a muco, ulcere; ex ore, sordibus gastricis, vermibus (tum simul adest pruritus 4) ex viis spiritualibus, ex pulmone, si in vomica pus colligitur (Berends) oritur, et pro varia origine, quam agnoscit, varium signum exhibet.

Odor ingratus putridus, cuius causa mucus narium stagnatione corruptus non est, putredinosam humorum corruptionem et periculosum aegroti statum indicat. Pezold l. c. p. 109. Olfactorius in iis (qui cephalaea laborant) sensus infectus est, neque quicquam eos bene olens oblectat, pariter quoque graveolentia detestantur. Aretaeus 1).

Aegrotis vero omnes tum cibos, tum potus, tum medicamenta oblata putrida atque graveolentia videri, malum, quod summe putridos humores intus in corporibus redundare denotet 2). Et Avicenna l. III. fen. V. tract I. cap. V. si aegrotus in morbo quodam praesertim acuto rerum non praesentium odorem percipit v. g. piscis, butyri etc. lethale est omen.

---

3) l. c. p. 252. §. 317.

4) Gruner Zeichenlehre 162.

1] de diuturnis l. c. cap. 2. de cephalaea.

2) Pr. Alpinus l. c. libr. 2. cap. XI.

Ubi vero aegrotus sui compos nulla causa praesente odorem alienum ingratum persentit, tum pessimum est omen Danz. p. 253 et Gruner p. 253. Sic v. gr. odor terrae fracidae instar signum exhibet mortis; plura exempla huc spectantia adfert Garmannus 1) cf.

Sat notum hysterismo subiectis odores aliis gratos, intolerabiles ingratissimosque, et aliis ingratos ut asae foetidae, pennarum combustarum aliarumque id genus rerum, gratissimos apparere.

Pro pathognomonico signo plicae Polonicae Richter habet, res alias sapori et olfactui non ingratas his aegrotis taedium imo spasmos procreare. p. VI. p. 390.

Odor gratissimus, quem interdum feminae hystericae percipiunt, spasmos praenunciat; in epilepsia violarum odor haud raro prodromus est accessus, Berends; contra Burserius 2) inter epilepsiae prodromos adnotavit, odoris tetri vel alieni perceptionem.

---

1) Ephemerides. Nat. Cur. Dec. I. ann. 1. obs. 144.

2) instit. medic. pract. vol. 3. p. 219.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Philippus Meyer, Ratiboriae, Silesiae superioris oppido, anno MDCCXCVIII, patre optimo B. Meyer, mercatore, natus sum. Primis literarum fundamentis maxima ex parte a viro summe reverendo doctissimoque B. Weisser, mihique usque ad cineres colendo, acceptis, decimo tertio aetatis anno Gymnasium Illustre quod Bregae floret adii atque per quinquennium et quod excurrit frequentavi. Improbus essem, nisi praeceptoribus optumis praesertim D. Schmieder Gymnasii Rectori, Sauermann et Matthisson Professoribus, viris doctissimis humanissimisque usque ad obitum gratum animum atque observantiam, quae par est, servarem. Testimonio maturitatis accepto Aprili MDCCCXVI Vratislaviam me contuli atque a Cel. Junguitz t. t. Rectore Magnifico civibus Viadrinae almae adscriptus, artis medicae me dedicavi. Cel. Thilo logicam, Cel. Treviranus botanicen, anatomiam et physiologiam plantarum, Cel. Gravenhorst (cuius insignis erga me benevolentia nunquam e grata mente evanescet) zoolo-

giam Cel. Steffens physicen, Cel. Fischer chemiam mihi tradiderunt; in anatomia theoretica et practica nec non in anatomia comparata dux mihi fuit Cel. Otto; de physiologia et pathologia generali Cel. Bartels disserentem audivi. — Anno MDCCCXVIII. Berolinum me contuli et a Cel. Marheineke tunc temporis fasces Academicos tenente in numerum civium huius musarum sedis receptus sum. Pathologiam et therapiam specialem ex ore Ill. Horn didici; adfui praelectionibus Ill. Hufeland de institutionibus medicinae practicae, Ill. Berends de materia medica, febribus, inflammationibus, exanthematibus atque semiotice; Ill. Graefe de chirurgia generali et akiurgia. Acologiam Cel. Bernstein, chirurgiam specialem Cel. Rust, artem obstetriciam Ill. de Siebold et Clar. Kluge, ophthalmiatricen Cel. Wagner me docuerunt. Ad instituta clinica Ill. Berends, Ill. Graefe, Ill. de Siebold, Clar. Neumann et Rust aditum non negaverunt.

Tentamine atque examine rigoroso rite peractis a Gratiosa Facultate Medica ut summos in medicina atque chirurgia honores in me transferre velit, oro rogoque.

THESES DEFENDENDAE.

---

1. Inter venenum et medicamen nullum statuo discrimen.

2. Contraindicatio non exsistit.

3. Nullum stheniae, nullum astheniae certum signum

4. Mors in rerum natura non exsistit.

5. Exanthemata acuta sic dictos evolutionis morbos esse nego.

6. Literarum studium menti prodest, corpori nocet.